

tertia et ultima, et servatis omnibus quæ in Pontificali præscripta sunt, ritè peracta est, et absoluta.

ED. DAMPHOUX, S. T. D. *Secr.*

CAROLUS I. A. WHITE, *Secr.*

DECRETA CONCILII.

I. **P**ERPENSO decreto S. Congregationis de bonis temporalibus Ecclesiæ*, Patres animum maximè propensum ad mentem S. Sedis in omnibus sequendam ostenderunt, sed censuerunt speciales leges Statuum singulorum, locorumque adjuncta, gravia afferre incommoda decreti executioni; singulorum tamen Episcoporum conscientiam onerandam esse, ut testamento, vel alio instrumento, consulant securitati bonorum ecclesiasticorum quæ penes se sunt: quorum testamentorum duplicatum exemplar apud Archiepiscopum deponant, Archiepiscopus autem apud seniores Episcopum, intra tres menses à suâ consecratione: quod si neglexerit Episcopus aliquis, monebit eum officii Archiepiscopus, eumque diù cessantem ad S. Congregationem deferet. Idcirco orant Patres ut S. Sedes dignetur decreti rigorem hac ratione mitigare.

II. Statutum est ne laicis personis unquam permittatur verba ad populum facere in Ecclesiis, sine Ordinarii licentiâ, postquam consecratæ, vel tantùm benedictæ fuerunt.

III. Cùm lege divinâ vetitum sit homini separare quos Deus conjunxit, monemus Episcopos ut in suis

* Suprà, 198.

synodis sub pœnâ excommunicationis *ipso facto*, prohibeant iis qui divortio civili sejuncti sunt, ne ad nova transeant vota, legitimo vinculo posthabito.

IV. Censuerunt Patres haud expedire decretum Tridentinum de clandestino matrimonio ad alias parœcias diœceseos Detroitensis, extra ipsam civitatem, adhuc extendere; nec ad alias diœceses Americæ Fœderatæ, præter eas in quibus jam noscitur promulgatum: et orandam esse S. Sedem ut dispenset quoad ipsam civitatem Detroitensem.

V. Præsules omnes hujus Provinciæ in Domino monemus, ut invigilent executioni eorum quæ à S. Tridentinâ Synodo decreta sunt de Pastorum residentiâ, curentque ne populus fidelis careat copiâ Missæ audiendæ in diebus præsertim Dominicis et festis; vel ægrotantes, subsidio sacramentorum: et in synodis suis pœnas statuunt in eos qui absque gravi causâ vel licentiâ abfuerint.

VI. Monemus Episcopos ut invigilent ne Sacerdotes, vel Ecclesiis temerè erigendis aut reparandis, vel aliâ ratione, ære alieno contrahendo, res Ecclesiæ onerent, aut fidem fallant cum religionis dedecore: ideò exigant rerum rationem saltem quotannis, nec sinant eos æs alienum absque licentiâ scripto datâ, Ecclesiæ nomine vel causâ, contrahere.

VII. Moneantur Sacerdotes ne res suas rebus Ecclesiæ immisceant, cum famæ suæ discrimine, vel offensione Fidelium, qui injuriam fieri Ecclesiæ facillè existimant. Idcirco habeant librum quo res omnes Ecclesiæ recensentur; et si ipsi pecuniam in Ecclesiæ usum contulerint, id fiat probante Episcopo, et cum virorum fide dignorum notitiâ, et in libro referatur, ut Episcopus visitationem habens possit singula inspicere, et jura omnium tueri.

VIII. Patres unanimi voce probarunt Rituale Romanum editum auctoritate Conciliorum Provincialium secundi et quarti, curante Episcopo S. Ludovici, sed permiserunt ut Appendix fieret amplior, precibus quibusdam vernaculâ linguâ redditis, iudicio Archiepiscopi, prout in Concilio quarto decretum est. Districtè tamen præceperunt Sacerdotibus omnibus latinam formam precum nunquam omittere.

IX. Confessionalia in Ecclesiis erigenda, pro mulierum confessionibus excipiendis, decrevit Concilium primum Baltimorese, quod districtè servandum omninò est. Ecclesiæ autem nomine, ad confessiones audiendas, Sacristia non est intelligenda, nisi locus sit publicus et patens.

X. Cùm intellexissent Patres præla typographica à viris catholicis in urbibus Baltimori et Cincinnati parari, inspectantibus clericis ab Ordinario designatis; quoniam id bonis moribus et Religionis utilitati opportunum esse viderunt, illud maximè probarunt.

XI. Juxta præscriptum et mentem Ritualis Romani, sedulus sit Pastor animarum in visitandis infirmis et agonizantibus, etiam postquàm ultima receperunt sacramenta; et illos exhortetur, consoletur, adjuvet; et elicitò ab iis, si possint, novo confessionis et contritionis actu, novâ identidem donet absolute.

Sit pariter assiduus in prædicatione verbi divini, juxta modum quem Concilium Tridentinum præscribit (*Sess. V, Cap. 2 de Ref.*) scilicet, diebus saltem dominicis et festis solemnibus, plebes sibi commissas, pro suâ et eorum capacitate, pascat salutaribus verbis; docendo non vana vel intricata, sed quæ scire omnibus necessarium est ad salutem; non quæ admirationem erga loquentem provocent, sed quæ ipsorum audientium ædificationem, et pietatis incremen-

tum promoveant, v. g. motiva et frequentem proxim actuum fidei, spei, charitatis et contritionis; dispositiones requisitas ad sacramenta utiliter recipienda; vitia quæ declinare, et virtutes quas sectari oporteat; det lac spirituale infantibus, adultis autem pietate solidum cibum; in sermone, sicut in opere, fiat omnia omnibus, ut animos ritè dirigat in viâ salutis, omnesque pœnam æternam evadere, et cœlestem gloriam consequi valeant.

† Ego SAMUEL, *Archiep. Baltimorensis, definiens subscripsi.*

† Ego BENEDICTUS, *Episc. Bostoniensis, definiens subscripsi.*

† Ego MICHAEL, *Episc. Mobiliensis, definiens subscripsi.*

† Ego FRANCISCUS PATRITIUS, *Episc. Philadelphiensis, definiens subscripsi.*

† Ego JOANNES BAPTISTA, *Episc. Cincinnatiensis, definiens subscripsi.*

† Ego GUIDO IGNATIUS, *Episcopus Bolinensis, et Episcopi Ludovicopolis Coadjutor, definiens subscripsi.*

† Ego ANTONIUS, *Episc. Neo-Aureliæ, definiens subscripsi.*

† Ego MATHIAS, *Episc. Dubuquensis, definiens subscripsi.*

† Ego JOANNES, *Episc. Neo-Eboracensis, definiens subscripsi.*

† Ego RICCARDUS PIUS, *Episc. Nashvillensis, definiens subscripsi.*

† Ego CÆLESTINUS RENATUS LAURENTIUS, *Episc. Vincennopolitanus, definiens subscripsi.*

† Ego JOANNES JOSEPH, *Episc. Natchetensis, definiens subscripsi.*

† Ego RICCARDUS VINCENTIUS, *Episc. Richmondensis, definiens subscripsi.*

† Ego PETRUS PAULUS, *Episcopus Zelanus, et diæcesis Detroitensis Administrator, definiens subscripsi.*

† Ego PETRUS RICCARDUS, *Episcopus Drasensis, et Coadjutor Episcopi S. Ludovici, definiens subscripsi.*

† Ego JOANNES MARIA, *Episcopus Claudiopolitanus, et Vicarius Apostolicus Texensis, definiens subscripsi.*

Ego RICCARDUS S. BAKER, *Vic. Generalis, et Diæcesis Carolopolitanæ Administrator, subscripsi.*

EPISTOLA

PATRUM CONCILII AD SUMMUM PONTIFICEM.

BEATISSIMO AC SANCTISSIMO PATRI

GREGORIO XVI, PONTIFICI MAXIMO,

*Archiepiscopus Baltimorensis ceterique Fæderatæ
Americæ Præsules.*

BEATISSIME PATER,

FINEM hodie imposituri Concilio Provinciali Baltimorensi quinto, in quo Dominicâ quartâ post Pascha convenimus, oculos, mentes et corda ad Beati Petri successorem, et ad Sedem principalem, omnium Ecclesiarum Matrem et Magistram, ut fas est, convertimus, velut ad solem æterni luminis, ut ex ipsâ rutilantem veritatis, et sanctorum ac spiritualium

dogmatum splendorem recipiamus, cum approbatione et confirmatione decretorum, quæ statuenda censemus pro prosperitate et pace Ecclesiarum nostrarum, si ea quæ à nobis condita sunt, supremo Apostolicæ Sedis iudicio, cui et nosmetipsos et acta nostra submittimus, sancienda videantur. Ad pedes Sanctissimi Patris nostri GREGORII, feliciter et gloriose regnantis, provoluti, gratos et jucundos animorum nostrorum sensus cohibere non possumus, videntes quòd sub Pontificatu ejus longius latiusque in dies diffundantur Evangelici luminis radii, et Civitas sacerdotalis et regia pacificas Christi Redemptoris victorias, et suas, ubique terrarum extendat. Gloriosa quidem nobis dicta sunt de certaminibus non sine sanguine, qui semen Christianorum fiat, athletarum sanctæ Religionis nostræ invictorum, qui in plagis orbis terrarum Orientalibus, jam à plurimis sæculis, imò ab ipsomet reparatæ salutis nostræ initio, umbræ mortis caligne coopertis, evangelizant pacem, evangelizant bona. Advenit tempus acceptabile, advenit dies salutis. Ad altam Petri rupem confugiunt, ut ab inundantibus idololatriæ, superstitionis, hæresum, vitiorumque fluctibus tutæ fiant gentes. Ad Christi summi animarum nostrarum Pastoris Vicarium tendunt manus Asiatici, tendunt et Æthiopes; petunt panem, exquirunt lucem. Nomen JESU, à quo non est aliud nomen datum hominibus in quo salvi fierent, confitentur, alium recognoscentes sequentesque Pastorem, cui soli à Domino commissa est cura universum gregem ejus, agnos scilicet pascendi et oves. In Europâ verò, ut ad aures nostras fama verax detulit, prævaricatores revertuntur ad eor; seu, ut magis placet dicere, ad domum suam jucundam, unde spiritu erroris innumeri seducti et alienati fue-

rant, filii regrediuntur, et ab amantissimo Patre aper-
tis brachiis complectuntur. Tristissimâ enim expe-
rientiâ ipsis jam constat sicut et ceteris, altâ voce
nobiscum consentientes proclamant radium à sole,
ramum ab arbore, à fonte rivum, membrumque à cor-
pore separatum, extingui, areferi, exsiccari, emori.
Inde etiam est quòd, Dei adjuti gratiâ, Deiparâque,
ut certò est dicere, auspice, qui cæci cæcorum duces
constituti plurimos in foveam cadere fecerunt, nunc
autem lumen veritatis felici omine recipientes, viam
quæ ad patriam ducit, piè nobis æmulantes, adhuc
errantibus ostendunt.

In vastissimis verò regionibus humilitati nostræ
commissis, Dei et Apostolicæ Sedis gratiâ, verbum
Dei currit et dilatatur. Numerus Sacerdotum, Ec-
clesiarum, institutionum religiosarum, scholarum,
Fideliumque quotidie crescit. Ut simplex pro pluri-
mis sufficiat exemplum, in unâ Diœcesi, intra tres
vel quatuor annos, quadraginta tres, non minùs, con-
structæ sunt Ecclesiæ. Oves, unâ vel alterâ solum-
modò exceptione factâ, obediunt præpositis suis, eos-
que sequuntur; disciplina ecclesiastica in singulis
diœcesibus viget; secundi ordinis Sacerdotes cum
Ordinariis suis, tanquàm chordæ in citharâ, consen-
tiunt; Præsulesque nostri omnes cum dignissimo
Archipræsule et confratribus suis concordantissimâ
Episcopali voluntate conveniunt. His autem adjun-
gere lubet quæ pro Silvestribus hominibus ultra Mon-
tes Ruposos à Missionariis Societatis Jesu facta
sunt, et pro Nigris in plagis Africae Occidentalibus,
qui, præcipiente S. Sede, à sacerdotibus nostris evan-
gelizantur. Tacere quidem non oportet hostes no-
minis Christi infensissimos, eosque, eheu! numerosos,
arcem fidei impugnare, totisque viribus ab altis radi-

cibus ejus dejicere conari. Hoc ut efficiant, dubias
contra nos in vulgus voces spargunt; libros qui ca-
lumniantur sanctissimam Religionem nostram, omni-
nisu apud rudes ignarosque divulgant; servos suos
Catholicos hæresum suarum veneno ut inficiant nihil
intactum relinquunt, patremque suum qui ab initio
mendax fuit imitantes, nos Catholicos concives suos,
quamvis patres nostri sanguinem suum tanquàm
aquam profuderint pro vindicatione libertatis contra
oppressorem acatholicum, Gubernio suspectos ob-
noxiosque reddere, utpote, ut falsò asserunt, sub alieni
principis, Pontificis scilicet Romani, ditione politicâ
et civili in servitutum redactos, ideoque Reipublicæ
infidos. Sed non est sapientia, non est fortitudo con-
tra Dominum. Vitam moresque nostros inspicientes,
palàm coram omnibus profitentur Religionem Catho-
licam omni societatis civilis statui, omni quod pacem
felicitemque populorum promovet gubernio esse
accommodatam. Hinc est quòd in laqueo quem pro
nostris paraverunt, irretiti sunt pedes eorum, et in
puteum quem pro nobis effoderunt, ipsi, ita vindice
nostro volente Deo, ceciderunt.

Hæc sunt, BEATISSIME PATER, quæ ad Sanctitatis
Vestras pedes deponere voluerunt obedientissimi BEA-
TITUDINIS VESTRÆ filii, præsules Americæ Septentri-
onalis Fœderatæ, in quinto suo Concilio Provinciali
congregati, commendantes se suosque omnes Sanc-
titati Vestræ, benedictionem ejus Apostolicam hu-
millimè efflagitantes, Deumque optimum, maximum,
enixè deprecantes ut dies super Sanctitatis Vestræ
dies adjiciat, diuque sospitem felicemque conservet
pro pace, decore, augmento, incolumitateque Eccle-
siæ, quam acquisivit sanguine Filii sui, Patrem Nos-
trum GREGORIUM XVI.

BREVE EPISTOLARE

SS. DÑI NOSTRI GREGORII PP. XVI AD ARCHIEPISCOPUM
BALTIMORENSEM, ET EPISCOPOS EJUS SUFFRAGANEOS.

*Venerabilibus Fratribus SAMUELI Archiepiscopo Bal-
timorensi, et ejus Suffraganeis.*

GREGORIUS PP. XVI.

Venerabiles Fratres, salutem et Apostolicam
benedictionem.

GRATISSIMÆ nobis fuerunt vestræ litteræ, vix-
dum quinto Provinciali Baltimorensi Concilio à
vobis mense Maio celebrato ad nos datæ, quibus sin-
gularem ac perspectam vestram in nos et hanc Petri
Cathedram, catholicæ unitatis centrum, veneratio-
nem atque observantiam amplissimis verbis unâ om-
nes iterum profiteri gloriamini, atque ejusdem Con-
cilio Acta hujus Apostolicæ Sedis judicio et auctoritati
subjicientes, à nobis efflagitatis ut Decreta in ipso
Concilio edita confirmare velimus. De quibus qui-
dem Decretis opportunum vobis responsum reddet
nostra Propagandæ Fidei Congregatio, cui ejusdem
Concilio Acta examinanda commisimus. Summis
verò meritisque laudibus episcopalem vestrum om-
nium sollicitudinem prosequimur, quòd muneris vestri
partes sedulò obeuntes, ex canonum præscripto rur-
sus in unum convenistis, ut in nomine Spiritûs sancti
simul conjuncti, concordissimis animis ea suscipere-
tis consilia, quæ majori diœcesium vestrarum bono,
atque animarum saluti conducerent. Exultavit au-

tem vehementer cor nostrum in Domino, cum ex ipsis
vestris litteris noverimus in istis vastissimis regionibus
vestræ curæ ac zelo concreditis, divinâ adspirante
gratiâ, evangelii lucem longè lateque in dies diffundi,
catholicam religionem protendi, populos Christi fidem
amplecti, Silvestres quoque homines et Nigros in pla-
gis Africæ occidentalibus evangelizari, sacra templa
in Dei honorem extrui, pias institutiones crescere,
sacerdotes augeri, ecclesiasticam disciplinam vigere,
ac Fideles pastoris sui voci faciles aures præbere,
ejusque monita perficienda curare. Itaque, Venera-
biles Fratres, dum maximas Deo totius consolationis
gratias agimus, qui super istas gentes misericordiam
suam effundere dignatur, vobis quoque vehementer
gratulamur, qui pastoralis zelo incensi, nullis neque
curis, neque laboribus, neque consiliis, vobis parcen-
dum esse cognoscitis, ut de Catholicâ Ecclesiâ, de
hac Apostolicâ Sede, atque animarum salute optimè
mereri possitis: atque in eam profectò spem erigimur
fore ut, Deo semper auxiliante, Catholica religio in is-
tis regionibus altissimas in dies agat radices, ac pros-
perè feliciterque vigeat, floreat, et Fidelium nume-
rus ita augeatur, ut omnes supernæ veritatis lumine
illustrati, atque enutriti verbis fidei, incedant per se-
mitas Domini, atque ambulent in Christo Jesu. Nos
quidem non cessamus in omnibus orationibus nostris
Fraternitates vestras, et commissos vobis greges Deo
humiliter commendare, nihil dubitantes quin vos quo-
que sine intermissione ipsum miserationum Dominum
orare atque obsecrare velitis, ut infirmitatem nos-
tram, asperrimis hisce temporibus, omnium Ecclesia-
rum sollicitudine laborantem adjuvet atque confirmet,
actusque nostros ad majorem sui nominis gloriam, et
totius catholici orbis utilitatem dirigat. Interim verò